Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6719
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

sol refulgens sic ille effulsit in templo dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas glorie: et quasi flos rosarum in diebus vernis. Quasi lilia que sunt in transitu aque: et quasi thus redolens in diebus estatis. Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum et ornatum omni lapide precioso. Quasi oliva pullulans: et cypressus in altitudinem se tollens. In accipiendo ipsum stolam glorie: et vestiri eum consummacione virtutis in ascensu altaris sancti: gloriam dedit sanctitatis amictum. Sapie.

Optavi et datus est michi sensus et invocavi et venit in me spiritus sapientie. Et preposui illam regnis et sedibus et divitias nichil esse duxi in comparacione illius. Nec comparavi illi lapidem preciosum: quoniam omne aurum in comparacione illius arena est exigua. Et tamquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem et speciem dilexi eam: et proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem michi omnia bona